


DE  
GEMMIS  
ERRORES  
VULGARES



1687



OF GEMS &c GEM-CUTTING




MINERALOGY • EMERALD AND OTHER BERYLS • CATALOG


EX LIBRIS

JOHN SIN KAN KAS


MINERALS AND STONES OF NORTH AMERICA • PROSPECTING • FOR GEM













3250 cat  
Worms  
1766

Q. D. B. V.

DE

G E M M I S

ERRORES VULGARES,

*Quos*

DISSERTATIONE

HISTORICO-PHYSICA,

*In*

ACADEMIA LIPSIENSI,

*XXIV. Decembr. MDCLXXXVII.*

MODERANTE

L. ADAMO Rechenberg / P.P.

*Affine suo honorando,*

Exponit refellitque

JO. JACOB SPENERUS, Mæno - Francof.

Philos. Bacc. & Medic. Cultor.

---

LIPSIÆ,

Typis CHRISTOPHORI FLEISCHERI.

1687



DE  
D. B. A. N.

C E M M I S

ERRORES VULGARES

Quor

DISSERTATIONE

HISTORICO-PHYSICA

ACADEMIAE PAVIENSIS

ANNO 1711

MONASTII

J. ADAMO BRUNNENI P. P.

PAVIAE

EX OFFICINA

JOHANNIS BAPTISTAE MONTI

PAVIAE

MDCCII

THEOPHILUS





B. C. D.



**V**in omnium artium & scientiarum doctrinas passim irrepererunt errores, quos eruditi curioso hoc seculo, veritatis studio incumbentes, hinc inde detegere solent; Ita nescio, an ulla Philosophiæ pars pluribus majoribusque sit obnoxia erroribus, quam doctrina physica ex veterum placitis potissimum desumpta. Quippe, qui nec tot experimentorum machinis, nec instrumentorum suppetiis fuerunt instructi, aut adjuvi, quot nostra ætate habent naturæ scrutatores eximii, qui in abyssu naturæ ad fundum usque penetrare fatagunt. Mihi non vacat jam veterum in Græcia celeberrimorum Philosophorum de principiis rerum naturalium, harumque natura & effectis recensere sententias diversas & oppido absurdas; cum tanta sit illorum copia, ut brevi, quam molior, dissertatione comprehendi nequeant. Exercitii solum gratia, aliquos ætati nostræ propiorum & quidem perquam vulgares, ex ea parte Physicæ, quæ *regnum*, ut vocant, *minerale* complectitur, annotare hic ac refellere, animum induxi. Sed cum & hoc regnum late pateat, fatisque amplum sit; juvat nunc quidem *errores de gemmis* vulgo creditos expendere, eosque pro ingenii mei tenuitate patefacere. Ut autem ordine aliquo servato dicti errores digerantur, *duas* futuræ contemplationis constitutam *Sectiones*: *Prima* erit *historica*, *altera Physica*. Deus secundet cœpta, ut in honorem nominis sui cedant!



## SECTIO I. HISTORICA:

### §. 1.

**C**um errores vulgi de Gemmis earumque natura & virtutibus notare hinc constituerim, harumque alia sint *diaphana*, alia vero *semidiaphana*, alia *opaca*; primum, quos de *diaphanis* certi scriptores cum vulgo fovent errores, pandam; deinde ad *opacas* progressurus. Ad *diaphanas* autem refero *adamantem*, *rubinum*, *carbunculum*, *sapphirum*, *smaragdum*, *granatum*, *amethystum*, *berillum* & *topasium*.

### §. 2.

De *Adamante* igitur apud diversos scriptores, varios mihi observare licuit errores jam enumerandos. Primum *durities* tanta illi tribuitur, quanta nullius in natura est rei: ut indomita quoque vis ejus nominari soleat. Cujus opinionis apud Latinos præcipuus autor est *Plinius*, qui *lib. 37. c. 4.* scribit: *Invicta illa vis (adamantis) duarum violentissima natura rerum ferri ignisque contemptrix.* Item: *adamanti tanta naturaliter duritia & soliditas inest, ut nulli violentia cedat, nec ferro nec incude possit infringi; quin imo ejus ictus ita respuit, ut ferrum utrinque dissulset, incudesque etiam ipsa vulneribus acceptis dissiliant.* Hunc secutus videtur *Isidorus*, de *Adamante Indico* tradens: *Hic nulli cedit materia, nec ferro nec igni, unde & nomen indomita vis accepit.* Horum autoritate forte deceptus vir alioqui mineralium, si quisquam, peritissimus *Georgius Agricola*, in tractatu de *Fossilibus lib. 6. p. 281.* de eodem scribens: *Differt vero Adamas à cristallo duritie, quæ ei tanta est, ut si super incudem positus acerrime percutiatur malleo, malleus & incus vulneribus acceptis dissiliant, quam ipse frangatur comminaturve.* *Vincentius Bellovacen-*



*cenſis in Speculo Naturali lib. 9. c. 40. plane duritiem ejus inenarrabilem cenſet: Incudibus hic deprehenditur, ita reſpiciens ictus, ut ferrum utrinque diſſultet, incudesque etiam diſſiliant, duritia quippe inenarrabilis eſt, ſimulque victrix natura. Qvam narrationem in ſequenti capite, carmine declarat appoſito, ex Marbodeo veteri Poeta Gallo, cujus carmina ex ævo barbaro non ignota aliàs ſunt:*

*Ultima præcipue genera Indjæ ſunt Adamantis  
Quem Criftallorum natum ſumptumque metallis,  
Nunc ita fulgentem criftallum reddit origo,  
Ut ferruginei non deſinat eſſe coloris:  
Cujus durities ſolidiſſima cedere neſcit,  
Ferrum contemnens nullo domabilis igne.  
Quæ tamen hircino calefacta cruore liqueſcit.  
Incudis damno percufforumque labore  
Hujus fragmentis gemme ſcalpuntur acutis.  
Alterius generis producit Arabjæ Adamantem,  
Nec nitore par huic, præcijque minoris habetur.  
Pondere ſit quamvis & enormi corpore major.  
Tertius eſt Adamas, quem dat maris Inſula Cyprus.  
Quartum producit ferraria vena Philippiſ.*

*Confer Albertum Magnum, in tractatu de Mineralibus lib. 2. cap. 1. §. 2. Anſelmum Boëtium de Bœot Historia Gemmarum & Lapidum lib. 2. c. 4. Joſtonium in Thaumaturgia Claſſe 4. cap. 10. Olaus Wormium in deſcriptione Muſei cap. 7. Cluſium in libello Exoticorum lib. 7. cap. 47.*

§. 3.

*Ex primo hoc errore alius natus eſt; nempe adamantem omnia corpora ſolida confringere. Vincentius in Speculo Natural. Lib. IX. cap. 39. ita de eo habet: Omnia corpora ſolida lapis Adamas confringit. Hinc &*



opinio invaluit, Adamantem sagittæ acumini aptatuna omnia arma facillime penetrare. Quod *Anselmus Bœtius Historia Gemm. & Lap. lib. 2. cap. 4.* perhibet. *Adamantis cuspis si telo, vel sagitta imponatur, omnia arma facillime penetrat.* Cui hac in parte *Wormius in Museo,* loco modò citato, astipulatur. Et ut error ferax errorum esse solet, si semel in libros à diversis relatus fuit scriptoribus: Ita vulgo creditur, *Adamantem* igne non domari, nec consumi posse, imo ne quidem incalescere. Id quod præter *Plinium & Isidorum* jam allegatos quoque verum esse putavit *Georgius Agricola: Nec ferri solum, scribit, ictus respuit, sed resistit etiam igni, cujus ardore adeo non liquefit, ut nunquam incalescat, adeo non fœdatur, ut purior fiat.* Quem errorem *Vincentius* quoque *Bellovacensis* ex *Plinio* repetens auget, cum ignium videlicet naturam ejus & nunquam incalescentem describit: unde & ab indomita vi Græce accepisse nomen dicitur: ut ó ἀδάμας sit quasi ἀδάμασος, indomitus ex α. στεγνῶ, & δαμάω, domo. *Franciscus Rueus* addit tractatu de Gemmis lib. 2. cap. 15. *Quinimo pusilla tametsi mole ignibus etiam vastissimis injectus modicus, pertinax atque illesus ita permanet, ut nullam prorsus ignis actionem admisisse (etiamsi multos dies inibi perseveret) palam ostendat: unde & indomitam antiquis vocari gemmam, invenire est.* Causam hujus rei vulgo creditæ *Chioccus in Museo Calcoarrio* reddere laborat: Sed nec igni, dicit, domari valet, humorem habens calore firmiorem ob passivam siccitatem, validiore in concretionem, frigoris densatione concurrente: aut ex *Alberto* præ intensa hujus gemme frigiditate pori adeo coarctantur, ut ignem ingredi non permittant, imò & *Serapio* Adamantem frigidum & siccum quarto in gradu esse scri-



scribit. Qua fortasse temperamenti natura motus Plinius censuit ardore ignis adeo non liquefcere, ut nunquam incalasciat: & Xenocrates refert, igne non modo non fœdari, imo puriorem fieri.

§. 4.

Errores de *Adamante* recensitos cumulat *Albertus Magnus*, illum plumbo injecto simul igne solvi existimans, loco supra allegato: Solvitur etiam, quod mirum magis hic lapis plumbo propter multum argentum vivum, quod est in ipso. *Vincentius Bellovacensis* addit, eundem hirci sanguine vel plumbo solvi. Quod miror, *Georgium Agricolam* quoque credidisse: Liquido, inquit, plumbo in ardentibus fornacibus ita in calefcit, ut dissolvatur.

§. 5.

Non levior alius de *Adamante* error notus est, quod eandem cum magnete habere virtutem dicitur. Ita enim *Vincentius lib. IX. Speculi Naturalis cap. 40.* narrat: Stellamque maris indicem itineris inter obscuras nebulas per diem & noctem prodit; cum enim vias suas ad portum dirigere nesciunt, accipiunt acum, & acumine ejus ad *Adamantem lapidem* fricato, per transversum in festuca parva figunt, & vasi pleno aque immittunt, & tunc *adamantem* vasi circumducunt, & mox secundum motum ejus sequitur in circuitu cacumen acus rotatum. Ergo proinde citius per circuitum lapidem subito retrahunt, mox cacumen acus avulso ductore, contra stellam aciem dirigit, statimque subsistit, nec per punctum movetur, & nauta secundum demonstrationem factam ad portum vias dirigunt. Quæ fabula poetico more, carmine digna *Marbodeo* viva est:

Tertius est *Adamas*, quem dat maris insula *Cyprus*.

Quartum producit ferraria vena *Philippis*:

Omnibus æqua tamen via est adducere ferrum.

Quod facit & *Magnes*.

Haud



Haud dubie & hunc errorem ex *Plinio* jam citato hausit, qui vires nobilissimæ hujus gemmæ prædicaturus scribit: *Adamas disidet à Magnete in tantum, ut juxta positus ferrum non patiat attrahi, aut si admotus Magnes apprehenderit, rapiat atque auferat.* Unde forsitan habet *Albertus Magnus*, quod mirabundus refert. *Et quod mirabile videtur multis, quando magneti supponitur, non permittit ipsum ferrum trahere.* Quam opinionem sequitur *Georgius Agricola*, *Alberto* quasi succinens: *Sic præstantissimus adamas vim Magnetis frangit: Etenim juxta ferrum positus, id magnetem ad se trahere non sinit; aut si jam traxerit, ab ipso abripit.* *Marbodeus* quoque citatus jam versibus eandem complexus opinionem:

- - *Magnes absente potens Adamante:*

*Nam præsens Adamas Magneti quod rapit, aufert.*

*Franciscus Rueus tractatu de Gemmis loc. supra memorato: Huic lapillo natura rerum omnium parens tale cum magnete, disfidium ingenuit, ut illo præsentente, omnem vim tractricem directam plane conspicias. Quin magis tractum ab hoc ferrum feroci quadam vi ab admoto adamante revelli, cernere est.*

§. 6.

Nondum fatis errorum de virtute adamantis sparsum; nisi & de ortu falsa narrarentur. Nam *Plinius* autor est, eum non nisi in excellentissimo auro nasci. Alii, referente *Clasio* & *Vincentio*, in crystallo ejus natales quasiverunt. Quod ex *Marbodei* carmine quoque colligas:

*Quem crystallorum natum sumptumque metallis*

*Nunc ita fulgentem crystallum reddit origo.*

Tam nobilem ergo ortum habere cum debeat; minus mirandum, si & noctu lucere & lucem illius interdum à sole abscondi, indeque noctu quoque tantum quæri & inveni-ri, *Bellovacensis* tradat. *Noctu tantum non interdum quæritur, quia noctu lucet, quia sol lucem ejus abscondit.*



§. 7.

Adamantem sanguine hirci, qui per aliquot menses biberit vinum & comederit petroselinum vel Siler montanum, emolliri, ut deinde confringi queat, ajunt. Cujus opinionis testis *Albertus Magnus* est, *libr. 2. Mineral. c. 1. §. 1. Solvitur tamen & mollescit sanguine hirci, præcipue si hircus aliquandiu biberit vinum, & petroselinum & Siler montanum comederit.* Quam opinionem *Vincentius* nova narratione confirmatum ivit, ex *Plinio* hæc refert: *Siquidem invicta illa vis duarum violentissima naturæ rerum ferri ignisque contemptrix, hircino rumpitur sanguine, nec aliter, quam recenti calidoque macerata, &c.* Id *Marbodæus* in supra citato carmine, ita effert:

*Ferrum contemnens nullo domabilis igne:  
 Quæ tamen hircino calefacta cruore liquefcit,  
 Incudis damno percussorumque labore.*

confer *Franciscum Rueum* *lib. 2. de Gemmis c. 15. Plinio* hac in parte consentientem.

§. 8.

Ad errores vel fabulas de adamante sparsos pertinet, illum capiti mulieris, ipsa inscia, suppositum, si casta sit, fidemque marito fervet, efficere ut dormiens in ejus amplexus ruat; si vero adultera, eosdem aversetur. Id quod præter *Anselmum Boëtium*, *Rueus* inter nugamenta *Physicorum* merito refert.

§. 8.

Non majorem fidem meretur alia de adamante narratio, qua traditur illum reconciliationis medium esse iramque comprimere atque conjugum amorem fovere, sinistro lateri alligatum. Quod præter *Anselmum Boëtium*,

B

tium,



tium, Chioccus in Museo Calcearii commemorat. Unde fabula enata, quam Albertus Magnus recitat, eum contra rixas, hostes, feros homines indomitasque bestias lacerto sinistro alligatum valere. Anselmus Boëtius credi etiam refert, illum constantem victoriam animique fortitudinem efficere: Vel, ut Marbodæus fingit:

*Indomitumque facit mira virtute gerentem.*

Plura adhuc ab aliis de eo ficta, memorat Anselmus Boëtius; nempe contra incubos, succubos demonumque nocumenta & prestigia presentaneum esse amuletum. Chioccus in Musæi Calcearii descriptione addit: perhiberi eum Incantationibus fascinationibusve resistere. Vincentius majora audacia usus, scribit: Prodest lunaticis & dæmone repletis, ex contactu etiam prodest infanis: imo si fides ipsi adhibenda, Venenum fugat & prodit. Et hæc de Adamante.

§. 9.

Ad Rubinum progredior: qui inter diaphanas gemmas, non infimum meretur locum. Huic Anselmus Boëtius cit. libr. II. cap. 14. tribuit: Si homini infortunia instent, hunc mutatione coloris in obscuriorem, eam significare, iisque præteritis, iterum pristinum colorem recuperare. Wolfgangi Gabelchoveri insignem de ipso historiam notatu dignam hic annexere placuit: cujus verba in commentario c. 6. Andreæ Baccii de Gemmis & lapidibus, hæc sunt. Notatu dignum est, Rubinum verum orientalem coloris crebra mutatione & obscuritate, homini ipsum gestanti, certum aliquod infortunium & calamitatem non diu abfuturam denunciare, & pro majori vel minori infortunio ad majorem, vel minorem nigredinem & opacitatem declinare. Id quod tum à viris clarissimis frequenter audivi, tum quoque pro dolor! ipsemet expertus fui. Cum enim V. Decembris Anno 1600. post  
Chri-



Christum natum, cum dilectissima conjugē Catharina Adelman-  
 mannia pia memoria, Stutgardia Calviam profiscerer, ob-  
 servavi in itinere manifestissime, Rubinum pulcherrimum,  
 quem annulo inclusum, ab eademque dono acceptum in ma-  
 nu gerebam, semel atque iterum splendidissimum colorem  
 fere prorsus amisisse, & pro splendore obscuritatem & luce  
 tenebras acquisivisse, quae nigredo & obscuritas non solum  
 per unum vel alterum, sed aliquot, perduravit dies; adeo, ut  
 vehementer perterritus anulum ex digito removerim, &  
 in cistam recondiderim. Unde non raro conjugem admo-  
 nuī instare vel mihi, vel illi insigne periculum, quod ex  
 rubini mutatione collegeram. Neque sane animus me fe-  
 fellit, ut quae intra paucos dies lethali morbo correpta fuerit,  
 qui ipsam ad mortem usque comitatus est: Post mortem  
 verò pristinus splendor sua sponte denuo rediit.

§. 10.

De Sapphiro non minus, ac de Adamante mirae vir-  
 tutes praedicantur. Nimirum quod ut nonnulli putant,  
 Sapphirus gestanti se gratiam apud homines &  
 Principes viros conciliet, inimicos reconciliet. Vid.  
 Chioccus in descriptione Musaei Calcearii Sect. 110. p. 225. Mar-  
 bodaeus addit, eum terrores fugare, invidiam superare, à  
 fraude immunem reddere:

*Et qui portat eum, nullo terrore movetur,  
 Invidiam superat, nec ulla fraude necatur.*

Imo addit:

*Hic lapis (ut perhibent) educit carcere vinctos,  
 Obscristasque fores & vincula clausa resolvit.  
 Fertur & ad pacem bonus esse conciliandam  
 Et plus quam reliquas amat hanc Negromantica Gem-  
 mas.*

*Ut divina queant per eam responsa moveri.*



## §. II.

*Chioccus* tradit, Sapphirum castitatis indicem esse; adeo ut si quis salax, aut ad Venerem impuram proclivis, talem gestet, in partes diffiliat gemma: perit & vis illa insita, omnisque nitor sordescit & obscuratur. *Franciscus Rucus lib. II. c. 4.* illi virtutem plane miram & absurdam affingit; quasi pietatem animo excitet. *Animi in Deum propensionem, devotionem, pietatem, constantiam, pacis ambitionem, Deorum munera, opimaque (quod ad hanc vitam spectat) beneficia invitare, fertur. Ut vel hinc ecclesiasticis omnium maxime digno sit, rude etiam vulgus profiteatur.* Quod forte ex *Alberto Magno* habet scribente: *Pacem conciliat: pium & devotum in Deum efficit & animam firmat in bonis.* *Facilius credideris Dioscoridi lib. 8. c. 100. memoranti: Si aranea intra pyxidem ponatur, & unus Sapphirus Indicus (is namque ceteris bonitate precellere dicitur) sive alius supra pyxididis orificium, aranea ejus quasi virtute victa moriatur.*

## §. 12.

*Smaragdo*, quam subjungere Sapphiro placet, *Albertus Magnus lib. II. Mineralium c. 17.* singularem vim efficiendæ castitatis studium affingit. Quod *Anselmus Boëtius* explicat his verbis: *Communi etiam hominum opinione castitatis custos ac adulterii proditor existimatur, quod venereos actus illegitimos non ferat, ac si peragantur, in partes diffiliat.* *Marbodeus*, ut est credulus, etiam Dæmones illum arcere, cantillat:

*Idem demonibus contrarius esse videtur,*

*Vincit prestigias & carmina dura resolvit.*

Omnem fidem superat, quod *Boëtius* jam sapius allegatus *lib. II. c. 58.* ex aliorum narratione refert: *hominem ad secreta inveniendâ habilem reddere, futurorumque cognitio-*



tionem dare, eloquentem efficere, opes augere. Albertus quoque Magnus lib. 11. Mineral. c. 7. Bonam inquit, facit memoriam & tempestatem avertit, & valet divinantibus. Facilius crederes, si experientia præsto esset, quod Rucus lib. 11. de Gemmis, cap. 4. habet: Oculos serpentis etiam diffluere, si optimum Smaragdum diutius intueantur.

§. 13.

Granato quidem tam miræ, ut jam memoratis gemmis, non ascribuntur virtutes: Sed tamen Rucus refert lib. 2. c. 3. esse, qui credant valere eum contra Cacodæmones, neque deesse, qui victoriam gerenti polliceantur.

§. 14.

Amythus, principum gratiam portanti talem conciliare creditur. Ita enim Franciscus Rucus lib. 2. c. 2. refert, hunc vigilantem & principibus gratum reddere eum, à quo portetur. Sunt, qui grandinem avertere & omnia prospera invitare illum tradant. Idem plane testatur Anselmus Boëtius lib. 11. Histor. Gemm. & Lap. c. 34. p. 166.

§. 15.

De Hyacintho non dissimiles fabulas Rucus habet lib. 2. c. 12. Nec desunt, qui hyacinthum confirmant, divitias augere, & animi alacritatem efficere: Præterea & à fulguribus portantem defendere. Albertus quoque Magnus lib. 11. Mineralium cap. 7. §. 2. de hyacintho prædicat: In ligaturis autem physicis ejus usus est, quod collo suspensus vel digito gestatus, tutum reddit peregrinum & gratum hospitibus. Vincentius Bellovacensis in Speculo Naturali libr. 17. c. 76. hæc quoque antecedentibus addit erroribus: Solidissima quoque duritia est, ita, ut findi & sculpi recuset. Sed sculpitur quandoque fragmentis Adamantis: Confortat gestantem, fugat tristitias & suspiciones vanas: Securum facit in peregrinas terras euntem. Anselmus quoque Boëtius experi-



entissimus certe gemmarius, credi à non paucis, tradit, divi-  
tias, honores ac prudentiam augere, etiam alacritatem efficere,  
& à fulgure portantem defendere.

§. 16.

*Berillus*, singularis virtutis & efficaciam esse, Alberto  
Magno visus est. Fertur contra pericula hostium, contra lites,  
valere & reddere invictum. Mitem etiam in moribus efficere,  
& ingenium bonum dare. Cui idem mox addit: Expertum et-  
iam est, quando rotundatus est & oculo solis exponitur, adu-  
rit, ignem accendit. Dicunt etiam aurifces, quod conjugii  
concordiam, inter maritum & uxorem. Astipulatur in  
his omnibus Alberto Magno, Vincentius admodum barbara  
quædam superaddens lib. IX. Juba scripsit quod conjugii  
dat amorem, & portantem se magnificat. Idem Berillus  
si rotundatus est, ut sicut panum fuerit, humectatus aqua in  
claritate solis, carbones mortuos & pannum laneum nigrum  
& bullituram arboris siccam accendit. In sequentibus eadem  
explicat. Radium solis ad se trahit, quod scilicet radius lapi-  
dem sine continuitatis solutione penetrans, ex altera lapidis  
parte, quæ scilicet à sole remotior est, stupas, panniculos &  
quæcumque sicca & comburenda facile attrahit, accendit;  
Manum quoque se tenentis adurere potest. Unde & me-  
tro lusit Poëta barbarus:

*Me dedit insignem virtus quæ format in ignem*

*Solis splendorem non nisi passa calorem.*

*Sic lux æterna descendit ab arce superna,*

*Est incarnata, matre non tamen violata.*

Idem testatur in Descriptione Musei Calceolarii Sect. 111. p. 221.  
Chioccus, Franciscus Rueus l. 2. c. 1. Invenio hanc gemmam,  
adversus hostium injurias & contra seignitiam pollere, ingenio  
prodesse, conciliare conjugatos. Easdem vires de Berillo tra-  
dit ex aliorum relatione, Anselmus Boëtius lib. 2. c. 7.

§. 17.



§. 17.

Ad Topasium nos ordo ducit: ejus itidem variae recensentur virtutes. *Albertus Magnus lib. ii. Mineralium, cap. 18.* refert: *Expertum est nostro tempore verum Topasium in aquam ferventem injectum illius astum ita consopivisse, ut statim injecta manu abstrahi potuerit absque ulla lesione, quod unus ex nostris sociis probavit Parisius. Anselmus quoque Boëtius credi, refert, lib. II. c. 66. Intellectum confortare, molestisque insomniis adversari. Demones terrere & sugare, pusillanimitatem stultitiamque auferre: Sapientiam animique constantiam promovere, à fascinationibus ferentem tueri, brachio sinistro alligatus aut collo suspensus auroque inclusus creditur.*

§. 18.

*Chrysolithus, veneno praesente, colorem amittere traditur, semoto, iterum recipere. Quod à quibusdam credi refert Olaus Wormius, cap. 18. p. 106. Franciscus Rucus de eo vulgo creditas vires enumerat easdem ferme, quas Anselmus de Topasio adducit, addens: Thetel Judaeus Philosophus tradit, Chrysolithos reperiri insignitos foemina una manu aevem, altera vero piscem continente, mercatoribus utiles, quod stultitiam pellat, invitet autem solertiam, qua ipsis negotiis suis bene absolvendis, maxime egent.*

§. 19.

*Opalus, qui ex parte pellucidus est, mira efficit, si Chiocco in Descriptione Musci Calcearii Sect. III. credimus: Opalus ut praecolorum varietate, quos in mutatione ostendit, insignis est, tot etiam illi virtutes inesse enarratur, quod habet colores. Inter quos hoc peculiare dicitur, quod circumstantium oculos obducta nube recondit: Unde quoque acrisia percutit, ut non videant vel advertant, quae sunt coram eis, & ideo furibus tutissimum esse patronum.*

§. 20.



§. 20.

Oculus cati, quæ apud Indos in tanto est pretio, quia sibi firmiter persuadent, ejus, qui hanc gemmam possidet, facultates non posse imminui, sed semper incrementum facere, & augeri, referente Clusio lib. 1. Aromatum c. 54. Eodem loco habet: Ego vero quod expertus sum referam; Lineus pannus ita compressus, ut ipsius gemma meditullium sive oculum tangat, nullo igne uri posse.

§. 21.

Visis igitur diaphanis gemmis earumque fictis virtutibus, ad semidiaphanos progredior: inter quas eminent Sardius, Chalcedonius, Onyx, Achates, Jaspis, Heliotropius, Præsius.

§. 22.

Sardius lapis, qui etiam Carneolus seu Corneolus vel Cornelius audit, veteribus non incognitus, iras mitigare dicitur. Ita enim Albertus Magnus, & Vincentius Bellouacensis tradunt. Id quod Marbodaus carmine expressit more suo:

*Sed neque Corneliū lapidem numerare pigebit,  
Qui licet obscurum videtur habere colorem;  
Non spernenda tamen huic creditur insita virtus.  
Nam lapis hic digito colloque gerentis adharens,  
In disceptando surgentes mitigat iras.*

Albertus Magnus autor est, acuere ingenium & animum accendere ad gaudium lib. 2. Mineral. c. 17. Anselmus Boëtius ex eo refert, (quod tamen mihi inquirenti invenire non licuit) gestatum Sardium seu Corneolum, animum exbilarare, timorem pellere, audaciam præstare. Idem credi, testatur Wormius in Musæo c. 16. p. 99.

§. 23.

Chalcedonius juxta Albertum Magnum phantasticas illusiones prohibere putatur Lib. II. Min. c. 3. §. 2.

§. 24.



§. 24.

*Onyx* Dioscoridi noxius habetur. Collo namque suspensum vel digito portatum, tristitiam & timorem excitare, lites multiplicare, animos ad rixas commovere, ut ex ipso recitat *Cbioccus in Descript. Musæi Calceoarii Sect. III.* Quem errorem *Albertus M.* quoque refert. Ajunt, quod collo suspensus excitet tristitias, timores, in somno phantasias terribiles, multiplicare facit tristitias & lites.

§. 25.

*Sardonyx*, qui ex *Onyche* & *Sardio* componitur, apud Græcos tanti fuit æstimatus, ut *Policrati Samiorum* tyranno felicitatis suæ, quam nimiam fatebatur ipse, satis piamenti in unius gemmæ voluntario damno videretur, si cum fortunæ volubilitate paria faceret, planeque ab invidia ejus abunde se redimi putaret, si hoc unum doluisset. *Franciscus Rueus* existimat, facere adversum animi fastum, item nocuos effectus arcere. Hominem castum, facere & pudicum. *Marbodeus* poetica licentia idem affirmat:

*Hic castum, humilemque facit multumque pudicum.*

§. 26.

*Achates* miræ venustatis gemma, in qua singularis naturæ perspicitur lusus. *Creticum*, *Avicenna* (*Alberto Magno* referente) ait, vincere pericula & vires conferre corporibus. Gratum & placentem facit, ut dicit, *Evax Rex Arabum* & persuasorem & boni coloris hominem, & facundum, & munit eum contra adversa. Quod confirmat *Vincencius lib. IX. c. 37.* De illius virtutibus *Marbodeus*:

*Hunc quoque corallo similem fert insula Creta,  
Cujus planicies croceis est illi a venis,  
Iste Nepæ virus fugat & quod viperæ fundit.  
Reddentem facies varias dat Indus Achatem.*

C

Hunc



*Hanc nemorum frondes hunc dantem signa ferarum:  
 Hic sedat sitim, visum fovere putatur,  
 Qui Myrrha gratum succensus spirat odorem.  
 Et qui sanguineas maculas perhibetur habere,  
 Certa cui facies, quia creber vilis habetur.  
 Portanti munus, viresque ministrat Achates,  
 Facundum faciens gratumque bonique coloris.  
 Et persuasorem mundoque Deoque placentem;  
 Hoc Anchisades comitante pericula vincit.*

*Franciscus Rucus aliam de eo virtutem prædicat: Ceterum omnem Achatem venenis pestiferis araneorum & scorpionum ictibus æversari; prudentiam ac facundiam præstare, ab adversa fortunâ tutari, visum fovere, cor recreare. Pfellus in libello de Virtutibus Lapidum, quem prius Jacobus Mauffacus vulgavit & Latine vertit, teste testatur, tantum virtutis sicificæ ei inesse, ut aquam ebibere possit & vas vacuum relinquere.*

§. 27.

*De Jaspide, ex aliorum opinione, narrat Albertus Magnus libr. II. Miner. c. 8. §. 1. quod gestantem se, à luxuria prohibeat, reddat gratum, potentem, & tutum. Vincentius Bellovacensis plura adhuc illi tribuit lib. IX. c. 77. Castum hominem sese portantem & tutum facit, gratum, si consecrata sit, noxia pellit phantasmata: Nec minora Marbodæus, carmine ludens:*

*Optimus in viridi transtuentique colore  
 Et qui plus soleat virtutis habere probatur.  
 Caste gestatus febrim fugat, arcet hydropem.  
 Appositusque judat mulierem parturientem.  
 Et tutamentum portanti creditur esse.  
 Et sicut perhibent, phantasmata noxia pellit.*

*Confer Franciscum Rucum lib. II. de Gemmis cap. 1.*

§. 28.



Species Jaspidis *heliotropius* viridis, sanguineis guttulis per universam ejus substantiam respersis conspicua gemma est: de qua *Plinius lib. 37. c. 10. Heliotropia nascitur in Æthiopia, Africa, Cypro, poracei coloris, sanguineis venis distincta. Causa nominis, quoniam dejecta in vas aquae plenum fulgorem solis accedentem percussu sanguineo mutat, maxime Æthiopica: eadem extra aquam, speculi modo solem accipit, deprehenditur defectus, subeuntem lunam ostendens. Unde forte fabulam Albertus Magnus lib. II. M. n. c. 5. habet. Hanc, Eliotropium dicunt esse vocatum Negromantici, quia si ungetur succo herbae sui nominis, in vas aquae plenum demissus, facit sanguineum solem videri, sicut si pateretur eclipsim. Cujus causa est, quia totam aquam ebullire facit in nebulam, quae inspissando aërem impedit solem videri, nisi quasi in rubore & spissa nube rorando: Postmodum autem descendit illa nebula, rorando sicut per guttas pluvia: mox subjicit: Dicitur autem reddere hominem bonae fame & incolumem & longae vitae. Dicitur etiam, quod unctus herba sui nominis, ut praediximus, visum fallat internum, ut hominem prohibeat videri.*

*Marbodeus* fictas hasce vires carmine expressit:

Ex re nomen habens est *Heliotropia gemma,*  
 Quae solis radiis in aqua subjecta bacillo,  
 Sanguineum reddit mutato lumine solem,  
 Eclipsinque novam terris effundere cogit,  
 Denique post modicum vas ebullire videbis,  
 Aspergique foras subita scaturiginis imbrem,  
 Ut fit, cum nimbos destillat turbidus aër.  
 Imbres de caelo vocat: astringitque serenum;  
 Sed quoque gestanti dat plurima vaticinari.  
 Atque futurarum quaedam praenoscere rerum,  
 Nosque bonae fame, quibus est data, laudibus ornat.



Servat & incolumes, producens tempora vita.  
Sanguinis astringit fluxum pellitque venena.  
Nec falli poterit, lapidem qui gesserit illum.  
Tot bona divino data sunt huic munera gemma.  
Cui tamen amplior his concessa potentia fertur;  
Nam si jungatur ejusdem nominis herba,  
Carmine legitimo, verboque sacra potentia,  
Subtrahit humanis oculis quemcumque gerentem,  
Hanc nunc Æthiopes, nunc Cyprus & Africa mittit,  
Sanguinis adpersum guttis similemque Smaragdo.  
Vincentius, ut alias, ita & hanc de heliotropio fabulam credit,  
& recitat Lib. IX. c. 67.

§. 29.

Hactenus de diaphanis & semidiaphanis gemmis mihi sermo fuit. Jam ad opacas progredior, inter quas Turcois, Malachites eminent. Turcois sit in hac gemmarum classe primus. De hac Albertus Magnus libr. 11. Miner. c. 18. §. 2. ex vulgari traditione habet, quod visum conservet & à nocivis casibus portantem defendat. Chioccus in descriptione Musæi Calcearii ejus vires pluribus describit fictas: Cui admiranda ab autoribus attribuuntur virtutes, adversus fascinationes & lymphaticos; illos nimirum, qui maniaci furore corripiuntur valere, tradit. Cardanus libr. 7. Annulo gestatus, si ex equo cadat homo, excipere omnem ictum & eam pro cadente, in frustra rumpi, servato homine, modo dono sit acceptus, ex ipso met autore habetur. Quamvis supra fidem esse dicat; referam tamen quod verum est, apud populos illos Mabumedana religioni addictos; Turcas nimirum tanta dignationis esse; ut putent se ipsos ex usu hujus lapidis, à quovis infortunio incolumes servari & cadentium damnum prohibere. Hinc factum, ut viri prævitiæ potissimum, quando equitandi se offert



occafio, habenas equorum pectorales, numerales & phaleras, quin imo & equorum capita illo exornent, ut liceat dicere lapidem hunc Turcicum fortasse vocabulum sortitum. Non diffimilia Franciscus Rucus libr. 2. c. 18. de hoc lapide narrat. Ostendendis porro prodigiis illustris plurimum est Turcois, ut & vix credibili virtute ferentem ab imminente periculo (tanquam videlicet innato contra aduersa quaque quodam amuleto medicamentoque) fortiter vindicare, celebretur. Anselmus Boetius, Historia Gemmarum & Lap. lib. 11. c. 116. Maxime autem ad casum commendatur, quem ipsa excipere, ne gestans ladatur, ab omnibus creditur. Sub finem capitis addit: Nonnullis inimicitias extinguere ac inter virum & uxorem amorem reconciliare creditur. Olaus Wormius in Musai descriptione c. 18. p. 106. tradit: Multi ad casum mirabiles ejus vires experti sunt. Anselmus Boetius in Histor. Gemm. & Lap. libr. 11. c. 117. narrat Turcoidem pulsando diei horas indicare: Opinantur nonnulli Turcoidem horologii vicem prestare, ac diei horas si ex filo indice & pollice comprehenso intra vitri concavum palmaris vel minoris latitudinis pendeat, ostendere. Tot enim pulsus ad latera vitri, quot hora diei fuerant. Idem credi vulgo Olaus Wormius, loco modo citato testatur.

§. 30.

Malachites viridis cum Turcoide magnam habet cognationem, unde etiam virtutes illi fere pares attribuuntur. Ita enim Albertus Magnus lib. 2. c. 12. §. 4. Malachites, quem & alii Melonitem vocant, fertur quod virtutem habeat custodiendi gestantem se à nocivis casibus, & similiter cunabula infantum. Id quod Marbodeus metro includit:

Infantum cunas virtute sua Malachites  
Protegit, & casus abigit quoscunque ferinos,



*Ne teneros artus pars possit iniqua nocere.*

*Dat lapidi pretium virtus cumulata decore.*

Gemmam hanc non modo reddendis signis laudatam esse, sed & infantibus appensam eos singulari facultate à periculis defendere, immunesque custodire, autor est *Plinius libr. 37. confer. Anselmum Boetium libr. II. c. 113.* hæc narrantem: *Prædicatur etiam maximas habere virtutes & facultates: gestantem nempe defendere, ne tonitru vel fulmine lædatur, ne in animi perturbationem incidat, ne contagium ab aliquo accipiat, neve fascinetur. Ob quam causam pueris appenditur, qui hac ratione à terriculamentis diurnis vel nocturnis immunes sunt, at ab omni fascinatione tuti existimantur.* Quibus *Chioccus in descriptione Musæi Calceolarii hæc addit: Apud Germania populos invasit hæc opinio de Malachite, quam bana, quam vera, dicant ipsi: gestant, si modo deo sit accepta, nihil mali posse evenire, tutumque à periculis conservare dicunt. Quod si quis pravus eventus sit futurus, prius gemmam frangi scindide afferunt, portentum evidentissimum alicujus futuri infortunii. Quin imo affirmant, si gestans illam fortuito aut ex æquo aliove cadat, gemmam vice gestantis, ictum in sese ipsam suscipere.* *Wormius quoque in Museo suo similia fere tradit. Volunt autem gestantem eum à tonitru & fulgure non lædi, nec animo turbari, aut contagio infici: fascinationem à pueris ut arceat, eorum collo suspenditur. Et hæc de erroribus circa gemmas observatis in præsentiquoad historiam dixisse, sufficiat.*



## SECTIO II. PHYSICA.

### §. 1.

**C**um omnis cognitio nostra, quod res attinet naturales, incipiat à sensibus, oppido manifestum erit, quicquid de corporum & rerum naturalium indole, virtute, temperie aut effectis nōrunt homines, id experimentorum ope didicisse. Hæc enim (actus quippe) si iterentur, pariunt experientiam. Quæ est memoria rerum singularium præteritarum, sensuum iudicio approbata; vel, ut alii describunt, observatio eorum, quæ sæpius eodem modo eveniunt.

### §. 2.

*Experientia hæc est vel propria vel aliena: Illa nostra industria, indagando reconditas rerum vires & effectus, comparatur; imprimis si instrumentorum machinas, quas solertis avi nostri curiositas invenit, aut Mathesis suppeditavit, adhibeamus, ac dijudicemus. Hæc, (aliena) experientia ex libris, aut fide dignorum artificum testimoniis hauritur. Ubi quidem non semper opus est, ut à quo experimentum petis, eum simul debere eruditum esse, requiras. Nam multa in hoc mundi theatro, vel ruris alumnos observasse, compertum est: puta in terræ qualitatibus, aëris temperie, feminum proventu, stirpium arborumque ætatibus, magnitudine, specie, partibus, animalium indole, qualitatibus. Et quæ non egregia experimenta artium mechanicarum, etsi illiberalium, magistri observârunt? quæ Physicæ doctores sæpius latent.*

### §. 3.

*His in antecessam quasi allatis, errores circa gemmas supra recensitos refutabimus vel ex propria, vel aliena experimentorum fide. Sed antequam id faciam, lubet quædam*



dam de causa errorum jam dictorum philosophari. Quæ si non infallibiles, probabiles tamen videri poterunt, ut plurima in physicis. *Prima*, eaqve communis, est imperitia rerum naturalium, ex defectu experimentorum & nimia credulitate orta. Pauci enim veterum scriptorum id operæ dederunt, ut quæ vulgo de hoc vel illo corpore, jactabantur, ipsimet experiri, aut in abditas eorum causas penetrare studuerint; sive quod suppetiæ ad scrutandas naturæ vires deficerent; sive quod ignaviam curiositati præferre mallerent. Itaque ab aliis falso tradita, ad posteros propagarunt, ut errores eundo quasi per ætates, robur quoddam acquisiverint plurimi.

§. 4.

*Alteram* horum *causam*, hic esse *figuras* in descriptione quarundam gemmarum à certis scriptoribus usurpatas arbitramur. Hæ deinde in sensu proprio acceptæ, errores pepererunt Poëtarum fabulis non dissimiles. Sic, quæ de adamantis duritie primo dicebantur, quod fere nullo modo frangi queat, & adeo indomabilis videatur; deinceps per figuram, aliis vocabulis expressa, errorem de duritie insuperabili genuerunt. Idem contigit circa ejusdem perseverantiam innocuam in igne &c.

§. 5.

*Tertiam causam* statuimus superstitionem vel ex arte magica, vel diabolica illusionem quandoque ortam. Nam ut Deus olim in ornatu summi sacerdotis & lapides pretiosos adhiberi voluit, quos observavit ille, cum responsa dare vellet populo: Ita Diabolus, ut est simia DEI, inde forsan quasdam lapidibus plusquam naturales vires affingere ansam sumsit, & mortalibus parum cautis postea persuasit. Quæ tamen nostra conjectura, si cui minus probatur, cum eo pertinaciter contendere nolumus.

§. 6.



§. 6.

*Quarta errorum causa* videtur esse, nonnullorum gemmariorum & mangonum fraudulentia, qui, ut cariori precio venderent gemmas, venustate quandoque minus placentes, miras eis affinxerunt affectiones aut virtutes. Unde error ab artificum fraude manavit ad turbam vulgi credulam.

§. 7.

Sed consideratis nunc causis, speciatim errores juxta duplicis jam designatæ experientiæ examen notabo. Sic, quod adamantis duritiem descriptam attinet, illa experientiæ repugnat & quidem plurimum scriptorum. *Anselmus Boetius in Histor. Gemm. & Lap. libr. 11. cap. 4.* testatur nullum hoc seculo inventum esse, qui malleo non in scrobem redigi potuerit. *Conf. Worm. in Museo c. 17. Clusium libr. 1. Aromatum cap. 47. Jonstonium in Thaumaturgia classe 4. c. 20.* Atque hinc artificibus notum, adamantem in mortario posse contundi, & in pollinem redigi. Imo certis experimentis constat, adamantem, annulo cui inclusus est, in pavementum decidente, dissiliisse. Nec ignotum aurifabris, quod adamas pulvere adamantis poliatur & cæletur; & si mallei ictu tangatur, sæpius frangatur.

§. 8.

Ignem illum domari posse, tam propria quam aliena experientia confirmo. Ex *Jonstonii* enim *Thaumaturgia classe 4. c. 20.* constat, quod ignibus cedat adamas & in calcem diuturna flamma redigatur. Deinde etiam hunc incallescere, tum igne, si tincturam, ut aurifabris notum, applicare illi volumus; tum etiam attritione diuturna panni ipse expertus sum. Et alio experimento cognovi, in cineres & calcem redigi posse.

§. 9.

Plumbo adamantem solvi itidem experimentis repugnat:

D

pugnat:



pugnat : de quibus videatur *Anselmus Boetius libr. 11. c. 4.*  
*Wormius in Musæo c. 7. Clusius libr. 1. Aromaticum c. 47.* Ipsi  
etiam tentavimus experiri liquido plumbo injicientes  
particulam aliquam adamantis impolitam, quam deinceps  
in crucibulo eadem figura inviolatam reperimus.

§. 10.

Sæpius etiam experiri tentavi, an adamas vires æmuletur  
magnetis ; & falsum esse, quod vulgo de his traditum  
fuit, deprehendi. Error forte hic enatus per fraudem  
artificis, qui vel acum in experimentum adhibuit per se  
magneticam, vel jam magnetis virtute instructam, vel etiam  
particulam magnetis annulo sub adamante simul inclusit,  
ut deinceps acus attrita actiones ab affricatione adamantis  
processisse viderentur. Eandem plane causam erroris  
*Anselmus Boetius libr. 11. H. G. & Lap. c. 4.* adducit :  
*Adamas perhibetur vere ut magnes septentrionem ostendere,  
& ferrum ea facultate inbuere. Sed vercor, ne ferro omnis  
facultas insit, & falso adamanti ascribatur.* *Albertus Magnus*  
licet in omnibus ferme cum iis faciat, qui falsa pro veris  
credulis persuadent ; in hoc tamen veritati calculum addidisse  
perspicitur suum. *Libr. 11. Mineralium cap. 1. §. 2.* scribit :  
*Sunt quidam, qui illum ferrum ad se trahere mentiuntur.*  
Falsum quoque esse, quod de dissidio adamantis & magnetis  
refert, proprio didici experimento. Quemadmodum nec noctu,  
nisi attritum & calefactum lucere, ex *Roberto Boyle, in observationibus  
de Adamante in tenebris lucente, didici.* Illum quoque non  
in auro, nec in crystallo nasci, observat *Clusius libr. 11. Aromaticum c. 47.*

§. 11.

Præterea hircino sanguine adamantem etsi calido,  
non emolliiri propria etiam experientia novi. Nec castita-



firmitatem illum aut furtivos amores prodere, *Anselmus Boetius* loc. all. observavit. *Experientia*, inquit, & *ratio*, ista adamanti non vere tribui demonstrat. Nam siue cum marito, siue cum alio Venerem exerceat uxor, eundem actum naturalem & ad generis humani conservationem necessarium exercet. Hunc ut vitiosum natura non agnoscit, ita nec adamas. Quis si vitium vel peccatum commissum fuisse, cognoscere deberet, tantum naturali & ingenta sua facultate id prestare posset. Sed si natura non potest, nec ille poterit &c. Huc referas & alias fabulas, quæ effectus morales huic gemmæ contra sanam rationem affingunt. Quis enim credat, gemmam in animos hominum agere, atque illos vel ad virtutem vel ad vitia stimulare. Certe hoc libero hominis arbitrio repugnat, quod in naturalibus & moralibus adhuc habet. Nec ullo certo experimento probari poterit. Uti & ipse deprehendi, falsum esse, veneno præsentem eum sudore madere.

§. 12.

Ad fabulas refero, quæ de rubini virtute præfata sparguntur. Labet tamen de rubino hic commemorare, quæ ex viro bonæ fidei percepi. Erat gemmarius, vir peritus, prudens & dives, quæ tria in gemmario quidam requirunt. Hic cum aliquando manus lavaret, & anulum in digito haberet, mox prandio sumpto, forte rubinum suum annulo inclusum alias mira oculorum delectatione, fulgentem, observat, omnem splendorem amisisse, & obfuscatum esse. Cum igitur aliorum relationi credens sibi firmiter persuaderet, aliquod infortunium sibi instare, remoto ex manu annulo, & in cistam reposito; accidit, ut e lapsu octiduo, unus ex filiis, variolis tum laborans moreretur. Unde recordatus phænomeni circa rubinum, observati, illum ex cista depromptum denuo aspicit, ac



splendorem pristinum recepisse eum observat. Quæ res opinionem de virtute præfaga rubini confirmavit. At dum postea iterum manus lavaret, & inter prandendum forte illum iterum intueretur, splendorem gemmæ denuo obscuratum deprehendit. Quare nova sollicitudo animum subiit, novum imminere sibi infortunium. Verum postea opinione fallente, dum nihil adversi contigit; in mutationis hujus causas inquirere, experitur, a quæ guttulam, quæ inter rubinum & folium, ut vocant, gemmarii penetraverat, lucis obscuratæ in illo causam extitisse, & ista deinde exhalante, splendorem quasi rediisse.

§. 13.

*Sapphirum* conciliare gestantibus gratiam Principum, aut proderere mutatione coloris impudicorum hominum illicitos amores, aut excitare animum ad pietatem, fabula est. Quam gemmarii certis experimentis edocti bona fide affirmarunt inanem esse. Et sane nulla ratio idonea excogitari potest, quæ facultatem istam in lapide probare queat. Nolo recensere exempla, quæ quicquid fabularum hic vulgo afferri solet, eludant. In eundem censum referas, quæ de Smaragdo & granato supra recensuimus virtutes fictas: ut recensuisse illas, sit refutasse. Quia nullo certo experimento edoceri possunt. Experientiæ quoque repugnat, quod de aliis gemmis supra commemoravimus: ut de amethysto, hyacinto, berillo, topasio, crysolitho, opalio, oculocati, fardio, sardonyche, achate, jaspide, heliotropio, turcoide, & malachite. Viribus nempe præternaturalibus pollere illas, ad producendos effectus morales, nullo documento rei gemmarie periti demonstrare possunt. Quapropter non est, ut in refellendis diutius immoremur nugis.



Quod de Hyacintho *Bellovacensis* narravit, adeo illum durum esse, ut findi & sculpi recuset, experientia repugnat. Nam & sculpi potest, & ab aliis gemmis duritie superatur. Ejusdem fidei narratio est, quæ de berrillo supra allata fuit; quod nempe præ omnibus in natura rebus, hoc habeat singulare, ut in sphericam figuram redactus soliqve expositus, certo aliquo puncto observato focum excitet. Verum ut ex opticis notum, hoc cum omnibus diaphanis habet commune: ut sunt crystalus, vitrum, glacies, & si quæ aliæ gemmæ diaphanæ. Falsum quoque est topasium aquæ ferventis æstum in illam immissum tollere. Hoc quidem certum, grandioris molis topasium in particulam aquæ ferventis immissum, illius æstum, ut alia corpora frigida, imminuere. Idem sentias de reliquis effectis physicis, quæ supra gemmis enarratis tributa fuerunt. Subjungerem nunc vires & effectus, quos gemmæ producere idoneæ sunt; nisi *Anselmus Boëtius*, *Adrianus Tollius* & *Johann de Laët* in *Historia Gemm. & Lap. libr. 1. c. 25. & 26.* id jam occupassent. Nempe non negamus gemmas affectionibus certis viribusq; pollere naturalib; ut alia corpora; sed quæ illis tribuuntur affectiones, vel ascribuntur effectus naturæ vires corporū excedentes, quæ certis experimentis repugnant, aut sine ratione finguntur, pro erroribus vulgi habemus. Unde enim istæ facultates & effectus? Non à natura, quæ sibi convenienter agit; nisi Deus eam supra vires elevet. Ut astra credamus gemmis largiri vim in animos hominum operandi, eosque pios aut castos reddendi, nulla ratione induci possumus. Multo minus nobis fit verisimile, à forma aut temperie lapidum, hæc, quæ vulgo prædicantur, esse. Nec fidem meretur, quæ eis vis magica tribuitur, v. gr. ophthalmio vel opalo,



palo, quod invisibilem reddat, ut de Gygis annulo legitur. Equidem fieri potest, ut magica arte aliquis producat effectus, qui gemmæ videatur esse; revera autem ejus non est; Cujus generis fallaciæ passim leguntur. Nulla enim connexio naturalis inter causam & effectum talem reddi potest. Sæpe etiam aliquid præsentem gemma sit, quod perperam illi, ut causæ, à vulgo imperito tribuitur. Unde multi in physicis errores nascuntur, dum causa per accidens cum causa per se inepte confunditur. Itaque missis illis, abrumpo telam hanc, Deamque ter optimum maximum veneror, ut dum gemmas contemplamur, in nobis spem confirmet, videndi aliquando \* cœlestem Hierosolymam gemmis pretiosissimis æternam fulgentem & corruscantem.

\* *Apocal. XXI.*

## *Soli Deo Gloria!*

---

### ADDITAMENTA.

#### I.

Si adamas, quem summus Hebræorum Pontifex gestasse dicitur, colorem prout populo prospera vel adversa fata imminerent, mutavit; non necessum est, ejus causam cum *Anselm, Boëtio de Boot lib. 1. c. 3. de Lap. & Gemm.* spiritibus tantum tribuere.

#### II.

Si mali spiritus loca foetida, horrida & solitaria amant; non inde consequitur, bonos propter splendorem, pulchritudinem & dignitatem velle  
pro



pro receptaculo habere v. gr. gemmas : ut laudato  
Boëtio loc. alleg. p. 126. videtur.

III.

Si adamanti certi characteres aut figuræ in-  
sculptæ sunt, vis operandi, si quam exserit, non fa-  
cultati ejus naturali adscribi debet.

IV.

Pertinacis homo ingenii, cum adamante non  
adeo convenienter comparari potest.

V.

Ut aliarum gemmarum, ita amethystotum  
pretia hominum opinio auget. Interdum tamen  
affectiones illarum simul attenduntur. Sic quia a-  
methysti in Misnia reperti, crystalli instar molles  
censentur, his præferuntur orientales; quippe du-  
riores & puriores. v. Boët. l. 2. c. 33.

VI.

Si crystallus per fraudem gemmariorum, a-  
lios colores induere vel mentiri potest; nihil obstat,  
quò minus & in aliis gemmis fraus latere possit.

VII.

Quod C. Tacito de Mor. German. c. 5. inco-  
gnitum fuit: *Argentum & aurum propitii, an ira-  
ti Dii (Germanis) negaverint*, dubitanti; id post  
Caroli M. ævum, pluribus innotuit; cum scrutari  
venas argenti aurive illi cœpissent.

VIII.



VIII.

Physica Cartesiana, Peripateticæ præferenda est.

IX.

Longævitat̃s Patriarcharum, caussa non solum temperamentum, & simplex victus ratio fuit; sed & aliæ naturales caussæ.

X.

Gemmas omnis generis in Misnia reperiri, ad nobilitatem regionis facit.

XI.

Granatus Bohemicus, orientalem granatum pulchritudine & pretio superat.

XII.

Berillus Misnicus, aliis peregrinis, etiam ab Italis præfertur.

XIII.

Lapis Albis seu Albinus, tam in Misnia quàm in Bohemia repertus, omnes pseudoadamantes & duritiæ & splendore superat.

XIV.

Topasius orientalis nihil aliud est, quam sapphirus in albido colore luteus.

XV.

Amethystus orientalis nihil aliud est, quam sapphirus in cœruleo purpurascens.



